~~1787 d. 4 Jul.~~ Ex originali Archivi Wielopolsciani in Piestkowa Skala.

1422. In Calvo monte apud S. Crucem.



Donatio Villae Przeginia per Vladislaum Secundum Regem Poloniae Petro Schafraniecz Subcamerario Cracoviensi et ejus Posteris collata.

90

In Nomine Domini Amen. Acta praesentis temporis de facili solent deperire, nisi praesidio et armamento Testium scripturae fuerint roborata, ad memoriam futurorum sempiternam. Proinde Nos Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Lithvaniaeq. Princeps Supremus, Pomeraniae, Russieq Dominus et Haeres etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris. Quomodo attendentes fervente sollicitati bonae fidei constantiam Servitiorumq. quibus Strenuus Miles Petrus Schafraniecz de Luczyce Subcamerarius Cracoviensis in Nostrae Celsitudinis conspectu meruit, et in antea uti arbitramur ad Nostram Nostrorumq Antecessorum beneplacita promereri se reddere non formidat, horum intuitu volentes eundem Petrum Schafraniec specialibus gratiarum prosequi favoribus Ipsumq praerogativa laetari, Sibi et Suis liberis Successoribusq. legitimis Villam Nostram videlicet Przegina in Terra Cracoviensi sitam pro Castro Pyestkowa Skala, prout in suis metis, Graniciis limitibus et gadibus, longe late et circumferentialiter ab antiquo exstitit limitata et distincta, nihil juris, dominii et proprietatis Nobis in ibidem reservando, /: exclusis duobus grossis pro exactione more consveto Terrestri solvendis :/ damus conferrimus liberaliter et donamus Donatione perpetua et in aevum cum omnibus et singulis ejusdem Villae Przegina dictae, Censibus redditibus, agris, pratis, campis, Sylvis, Borris, nemoribus, merica, gais, quercetis, virgultis, venationibus, aucupationibus, mellificiis, molendinis, emolumentis, piscinis, piscaturis, rivis, paludibus, aquis et earum decursibus, ac Thorrentibus, pertinentiis et appendiis universis ad memoratam Villam Przegina quomodolibet ab antiquo spectantibus, habendam, tenendam

Jasienski

commutandam, alienandam, donandam, obligandam, vendendam, utifruendam et in usus beneplacitos convertendam, ac pacifice perpetuis temporibus possidendam, prout sibi et suis legitimis successoribus melius et utilius videbitur expedire, harum quibus Sigillum Nostrum est appensum testimonio Literarum. Actum in Calvo monte apud Sanctam Crucem Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Vigesimo Secundo. Praesentibus Rndo in Xto Patre Domino Johanne Archiepiscopo Leopoliensi, Honato de Korythnicza Visliciensi, Raphaele di Withow Zarnoviensi Castellanis, Alberto Malski Lanciciensi Subcamerario, Nicolao de Puchaczow Subpincerna Siradiensi et Ada Judice Lanciciensi, multisque Nostris aliis fidelibus fide dignis, datum per manus Reverendi in Xto Patris Alberti Dei Gratia Episcopi Cracoviensis Regni Poloniae Cancellarii et Venerabilis Domini Johannis Decani et Canonici Cracoviensis Regni ejusdem Vicecancellarii sincere Nobis dilectorum. Ad Relationem ejusdem Rndi in Xto Patris Domini Johannis Sae Metropolitanae Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopi.

Jasienski

E.